

QVOMODO CLAVDIANVS  
IN STILICHONE CONSVLE LAVDANDO  
CICERONEM POETAM IMITATVS SIT

In libro *De consulatu Stilichonis* secundo dea Roma, cum Stilichonem, ut consul fieri vellet, adhortata sit (Claud. c. 22, 279–339), togam pictam affert, quam una cum ipsa Minerva imaginibus aureis res futuras aperientibus intexuit. Hanc togam a Claudiano clipeorum illorum apud Vergilium Homerumque descriptorum<sup>1</sup> loco inventam esse satis constat.<sup>2</sup> Quos summos in utraque lingua heroici carminis auctores Claudianum aperte aemulatum esse ut titulus sub statua eius inscriptus testatur, ita in dissertationibus demonstravi.<sup>3</sup> Neque enim mirum esse videatur, quod Claudianus, siquidem praeunte in ecloga quarta Vergilio aetatem auream a Stilichone consule initium sumere voluit (c. 22, 424–76), pro armis Aeneae Marcellorum togam posuit, quod vestimentum pacis est indicium.

Quae ut laudentur, tamen quaestio de exemplis illo loco a Claudiano petitis neglegi nondum potest. Quid ita? Iam pridem Cameronius Claudianum his, quae rei publicae causa scripsit, operibus, ut Stilichoni patrono suo cum aulicorum Mediolani, tum Romae senatorum animos conciliaret, studuisse docuit.<sup>4</sup> Qua in re poeta noster ea potissimum exempla adduxisse videtur, quae audientibus censeret grata futura. Erant enim inter patres conscriptos ea aetate praeter Vettios Symmachos Anicios multi alii summi iidemque litterarum peritissimi viri, apud quos Vergilius Livius Ciceroque maxima fruebantur auctoritate. Quae cum ita sint, quid veri similis quam Claudianum ex his fontibus exempla hausisse? At scripserunt Livius atque Cicero oratione soluta, versibus Claudianus. Tamen Claudiano Patavinum in manibus fuisse Stoeckerus probavit,<sup>5</sup> Arpinatisne vestigia apud eum

---

<sup>1</sup> Il. XVIII. 483–608; Verg. *Aen.* VIII. 625–731.

<sup>2</sup> Cf. enim U. Keudel. *Poetische Vorläufer und Vorbilder in Claudians De consulatu Stilichonis: Imitationskommentar* (Hypomnemata 26. Göttingen 1970) 88–95.

<sup>3</sup> De epigrammate Graeco (*CIL* VI. 1710. 14 sq.) vide F. Felgentreu. *Die praefationes Claudians: Bedingungen, Beschreibungen und Wirkungen einer poetischen Kleinform* (Stuttgart – Leipzig 1999) 133, et eiusdem “Wie ein Klassiker gemacht wird. Literarischer Anspruch und historische Wirklichkeit bei Claudian”, in: *Es hat sich viel ereignet, Gutes wie Böses: Lateinische Geschichtsschreibung der Spät- und Nachantike*. Hrsg. von G. Thome und J. Holzhausen (München – Leipzig 2001) 80–104, praes. 99 sq.

<sup>4</sup> A. Cameron. *Poetry and Propaganda at the Court of Honorius* (Oxford 1970).

<sup>5</sup> V. E. Stoecker. *De Claudiani poetae veterum rerum Romanarum scientia quae sit et*

reperirentur, nemo post Birtium quaesivisse videtur: qui in apparatu locorum similium, quem ad textum adiunxit, perpauca notavit.<sup>6</sup>

Quae qui cogitaverit, eum in illa, quam diximus, togae pro armis substitutione aliquid Ciceronianum inesse non fugiat. Nam Ciceronis illud ‘cedant arma togae’ (fr. 16 M) quis est qui nesciat? Arma autem hoc loco togae cessisse luce clarius apparet.<sup>7</sup> Quin Claudianus haec, quibus utitur, verba (c. 22, 365–367) in ipso Ciceronis versu posuisse videtur:

tunc habiles armis umeros iam vestibis ambit  
Romuleis: Latii sederunt pectore cultus  
loricaeque locum decuit toga.

Neque eam pacis cum bello comparatae figuram<sup>8</sup> hoc uno loco proposuit, sed tamquam filum aureum carminis sui telae intextum huc illuc emicare voluit. Nam cum libro de laudibus Stilichonis primo res ab illo in bello gestas extolleret, librum secundum paci dedicavit totum. Incipit autem sic:

Hactenus armatae laudes, nunc qualibus orbem  
moribus et quanto frenet metuendus amore,  
quo tandem flexus trabeas auctore rogantes  
induerit fastisque suum concesserit annum,  
mitior incipiat fidibus iam Musa remissis.

Quo loco Claudianus non solum pro armis, quae in bello Stilicho moveret, amorem, quo coleretur in pace, se laudare velle indicavit, sed etiam vestimenti consularis per trabeas mentionem fecit. Tum in tertio libro<sup>9</sup> haec invenimus: “bellaturoque togatus / imperat” (c. 24, 85 sq.), quae eandem armorum togaeque imaginem continent, deinde itidem eiusdem libri v. 215 sq.: “hunc bellis comitare favens, hunc redde togatum / consiliis”, denique vv. 220–222: “sed verus patriae consul cessantibus armis / contentus licitore venit <...> solo munitus amore”, quae ad libri secundi initium spectant.<sup>10</sup>

*unde fluxerit*. Diss. (Marpurgi 1889) 16–71; cf. etiam Felgentreu 2001 (supra n. 3) 88 ad Claud. c. 20, 440 sq.

<sup>6</sup> Cf. *Claudianus carmina*. Ed. Th. Birt (Berolini 1892) ad cc. 18, 57; 28, 621; *carm. min.* 21. Claudianus ipse *carm. min.* 40, 4 Ciceronis mentionem fecit.

<sup>7</sup> Cf. Felgentreu 2001 (supra n. 3) 97 sq.

<sup>8</sup> Cf. Serv. *Ad Aen.* I, 1: “Cicero: ‘cedant arma togae’, id est bellum paci”.

<sup>9</sup> C. 24 (cum praefatione) duobus fere mensibus post cc. 21 et 22 Romae recitatum est: cf. quae argumenta a viris atque feminis doctis variis locis adducta nuper congressi (Felgentreu 1999 [supra n. 3] 229–232).

<sup>10</sup> Etiam illud ‘et Latiae cessit Graia Thalia togae’ (*Carm. min.* 41, 14), ubi iterum per metonymiam togae ceditur, ad Ciceronis verba referri potest.

His rebus perspectis dubium non est, quin Claudianus, ut patrum Romae se audientium benevolentiam captaret, Ciceronis verba aemulatus sit. Neque quicquam incepto eius aptius fuisse videtur: quippe quae non ex oratione ulla, sed ex carmine et laudibus consulatus essent petenda, ita ut facile ad Stilichonem consulem declinari possent, cuiusque rei haberet etiam auctores non spernendos, qui antea his eisdem verbis freti alius Pisonem, alius Ciceronem ipsum laudaverant.<sup>11</sup>

Quae cum ita sint, oriatur necesse est quaestio, fueritne Claudiano illud *Consulatus sui* poema exemplo, quo edito Cicero olim tot sibi derisores excitaverat.<sup>12</sup> Id autem difficile est cognitu: cum enim carmen illud nisi fragmentis quibusdam exceptis non extet, quomodo, vel si alia eius praeter armorum togaeque metonymiam vestigia in Claudiano inveneris, diiudicare poteris, legeritne ille carmen integrum an eadem tantum fragmenta atque nos? Sin autem carmen habuit incolume diversisque locis imitatus est, quomodo eis locis aemulationem Ciceronis agnoscemus, quorum exemplum deperditum est? Quin etiam ignoramus, utrum carmen illud Ciceronis extiterit omnino aetate Claudiani an non. Nam quae Servius prompsit aut notissima sunt aut ad notitiam carminis probandam non sufficiunt,<sup>13</sup> iudicium autem Volcaciai grammatici (qui saeculi p. Chr. n. IV fuisse videtur) si cogites, *Consulatus* libros eum legisse suspicari possis, affirmare vix audeas.<sup>14</sup>

Haeremus hic quidem. Attamen, id quod solum patet, quae laudum Stilichonis partes cum *Consulatu* Ciceronis conferri possint, videamus. Qua in re primum omnium animadvertendum est et hoc et illud opus tribus libris contineri: quae operis ratio quamquam in Cicerone nihil habet quod mireris, apud Claudianum nisi in hoc uno opere nusquam invenitur, ita ut hunc in imitationem quandam formae operis aspirasse forsitan non abneges. Deinde Cicero Quintum fratrem in dialogo, qui *De divinatione* inscriptus est, octoginta fere consulatus sui versus recitantem fecit, quibus Urania Musa Ciceronem allocuta esset (Cic. *Div.* I, 17–22). Quod fragmentum (fr. 11 M) cum teste Cicerone e secundo libro adductum esse sciamus, quamam illius libri

<sup>11</sup> Cf. *Laus Pis.* 35 sq. (“sic etiam magno iam tunc Cicerone iubente / laurea facundis, cesserunt arma togatis”); Plin. *N. h.* VII, 117 (“primus in toga triumphum linguaeque lauream merite”).

<sup>12</sup> De inscriptione vid. Courtney (*The Fragmentary Latin Poets*, ed. et annotavit E. Courtney [Oxford 1993] 156).

<sup>13</sup> Cf. Serv. *Ad Aen.* I, 1 (fr. 16 M); *Ad ecl.* 8, 105 (fr. 10 M).

<sup>14</sup> Grammaticum, qui scholia Bobiensia confecit, Volcaciaum illum ab Hieronymo (*Adv. Rufin.* I, 16) laudatum fuisse videri docet P. L. Schmidt (*Handbuch der lateinischen Literatur* 5 [München 1989] 141, § 526, 1). Is ad Cic. *Planc.* 74, “nam de consulatu suo”, inquit, “scripsit poetico metro, quae mihi videntur opera minus digna talis viri nomine”.

parte, initio an fine an medio, ponamus, adhuc inter viros doctos non convenit.<sup>15</sup> Incipit autem his verbis, quibus, cur omina vera esse possint, defenditur:

Principio aetherio flammatus Iuppiter igni  
vertitur et totum conlustrat lumine mundum  
menteque divina caelum terrasque petessit.

Quam cosmologiam aliqua ex parte initium secundi *De consulatu Stilichonis* libri resonare videtur; confer enim haec, quae post prooemium sequuntur (Claud. c. 22, 6–13):

Principio magni custos Clementia mundi,  
quae Iovis incoluit zonam, quae temperat aethram  
frigoris et flammae mediam, quae maxima natu  
caelicolum (nam prima chaos Clementia solvit  
congeriem miserata rudem vultuque sereno  
discussis tenebris in lucem saecula fudit)<sup>16</sup> –  
haec dea pro templis et ture calentibus aris  
te fruitur posuitque suas hoc pectore sedes.

Legimus hic etiam, ut apud Ciceronem, in secundo operis libro cosmologiam quandam poetice fictam, quae itidem a *principii* voce initium capit:<sup>17</sup> quo verbo Claudianus, ut primordium rerum significaret, hoc loco solo usus est.<sup>18</sup> Et initio alterius *De Eutropio* libri, qui anno 399 paucis mensibus ante laudes Stilichonis confectus est, quae prodigia Eutropius consul accepisset, enarrata sunt (c. 20, 24–49): quibuscum Cic. fr. 11, 11–53 M comparari liceat, ubi prodigia Ciceronis consulis enumerantur. Potuit igitur Claudianus, ut ad comparisonem tam Eutropii quam Stilichonis, annorum 399 et 400 consulum, cum Cicerone consule audientes excitaret, Ciceronis scripta et carmen de consulatu eius investigasse. Quibus rebus cogitatis equidem adducor, non modo ut Claudianum a Cicerone profectum, sed ut cum Jocelynio etiam Uraniam initio secundi libri inductam esse suspicer.

<sup>15</sup> Courtney (supra n. 9) 157 et 162 Uraniam in initio libri apparuisse negat. H. D. Jocelyn (Urania's Discourse in Cicero's Poem On His Consulship: Some Problems // *Ciceroniana* 5 [1984] 39–54) 45 sq. poetam ab illa extra narrationem ipsam, dum carmen conficeret, instructum esse putat (evenit autem, ut admonitionem eius initio potius libri quam fini attribuamus). at Soubiran (Cicéron. *Aratea. Fragments poétiques*. Texte ét. et trad. par J. Soubiran [Paris 1972] 252) hoc fragmentum secundi libri terminum fuisse dicit.

<sup>16</sup> Sic distinxi. "caelicolum. nam <...> fudit. haec" Hall.

<sup>17</sup> Quibus auctoribus aliis Claudianus hoc loco usus sit, Keudel (supra n. 2) 64–73 demonstrat.

<sup>18</sup> Cf. enim cc. 20, 252; 26, 33; *carm. min.* 27, 53 (et app. 5, 7; 20, 24).

Tamen non satis habemus, cur has similitudines (argumenta consularum, numerum librorum, partes librorum secundorum, quae a cosmologia et a *principii* voce initia capiunt, prodigia et Eutropii et Ciceronis in secundis libris relata), vel si togam Stilichonis ad Ciceronis illud “cedant arma” spectare insuper agnoveris, argumento esse ducamus, quo Claudianum Ciceronis *De consulatu suo* carmen aemulatum esse probetur. Quod enim utrumque poema de consulibus scriptum est, id ideo factum esse dicas, quia et Cicero et Stilicho profecto consules fuerint. Quod tribus utrumque libris constat, id casu fortasse evenit, praesertim cum tertius de Stilichone liber laxiore quodam vinculo cum parte prima cohaereat.<sup>19</sup> Quod cosmologiam Claudianus scripsit, id ad quemvis alium fontem facile referas. At a *principio* illo cum multi apud Ovidium, in Lucretio innumeri versus incipiunt, tum Claudianum hoc loco ad initium secundi *Georgicon* libri respondisse nemo negabit: qui non aliter a vocibus *hactenus* in prooemio (v. 1), *principio* post prooemium (v. 9) incipit.<sup>20</sup> Denique Anchises quoque inde a *principii* verbo in *Aeneidis* sexto cosmologiam explicat (Verg. *Aen.* VI, 724–727). Restant prodigia: quae quidem ad Eutropium pertinent, ad Stilichonem non pertinent.

Cur ergo audientibus non Vergilium tantum, verum etiam Ciceronem in mentem venire potuisse nihilo minus defendam? Indiciorum mihi quasi cumulum congegississe videor, quae singula parum, glomerata autem satis efficiunt, ut inter gravissima Claudiani in laudibus Stilichonis exempla praeter Vergilium Ciceronem cernere liceat. Accedit autem locus unus animadversione dignissimus, qui, cum ab aetatis Claudiani moribus et ab eius ratione scribendi abhorreat, Ciceronem ipsum redolet. Poeta enim, postquam Stilichonem cum Fabricio Aemilio Mario Pompeio, maximis rei publicae liberae ducibus, composuit, in tertio libro haec exclamavit (c. 24, 44–51):

ductoribus illis

45 praeterea diversus erat favor: aequior ille  
 patribus, invisus plebi; popularibus illi  
 munito studiis languebat gratia patrum.  
 omnis in hoc uno [scil. Stilichone] variis discordia cessit  
 ordinibus: laetatur eques plauditque senator

50 votaue patricio certant plebeia favori.  
 o felix, servata vocat quem Roma parentem!

Hic imprimis mirum illud polyptoton, quo vv. 44–46 finiuntur, observandum est: cuius simile in Claudiano nusquam invenio. At venustate qua-

<sup>19</sup> Vid. supra n. 9.

<sup>20</sup> De *Georgicon* in laudibus Stilichonis imitatione cf. Felgentreu 2001 (supra n. 3) 97–99.

dam rusticitatis fortasse respirat, quam prisco ab exemplo fluxisse libenter existimem. Sed sensum potius respice: quid hoc loco ante oculos versatur nisi ordinum concordia ipsa, cui Cicero tantopere studuit? Is cui Quintus frater in consulatu petendo haec esse retinenda admonuit, ut senatus eum existimaret defensorem auctoritatis suae fore, equites Romani studiosum otii ac rerum tranquillarum, multitudo a suis commodis non alienum futurum (*Comm. petit.* 53), is qui Pisoni se a cuncta Italia, se ab omnibus ordinibus, se ab universa civitate non prius tabella quam voce priorem consulem declaratum obiecit (*Cic. Pis.* 3) quique ita esse a se consulatum peractum, ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu coniungeret, in eadem invectiva gloriatus est (*Pis.* 7). Quid vero? Hi ordines aetate Claudiani, cum consules a principibus destinabantur, cuius auctoritatis fuerunt? At quem versum ultimum adduxi, is optime ad illud “o fortunatam natam me consule Romam” (*Cic. fr.* 17 M) quadrare videtur, quod molestius est, quam ut elegantissimus poeta verba ipsa imitetur. Parentem autem patriae, cum cuius exemplo Claudianus Stilichonem adaequavit, Ciceronem fuisse, Iuvenalis docet eadem pridem clausula usus atque ille (*Iuv.* VIII, 243 sq.):

sed Roma parentem,  
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

Quae cum ita sint, Claudianum carmen *De consulatu* Ciceronis imitatum esse pro comperto paene habeo. Veri enim similis est tot tantaque aemulationis indicia ex uno atque eodem opere nata esse quam variis locis variisque auctoribus. At Ciceronem contempserunt poetam, oratorem venerati sunt. Attamen Claudiano, qui tum poetarum lumen erat, exemplo esse potuit, praesertim cum haberet, quod corrigeret atque superaret. Homines autem eius saeculi, eos quos poeta commovere vellet, ut Vergilium ita Ciceronem maxima admiratione coluisse Macrobius paulo post Claudianum testis locuples extat.

Fritz Felgentreu  
*Universitas libera Berolinensis*

Исходя из наблюдения над панегириками Клавдиана по поводу консульства Стилихона (сс. 21–24), где вместо описания щита (традиционный элемент эпического жанра) поэт описывает консульскую тогу (с. 22, 339–361), автор задается вопросом, не опирался ли Клавдиан на поэму Цицерона *De consulatu suo*, из которой происходила “крылатая” цитата *cedant arma togae* (fr. 16 M). Чтобы доказать, что Клавдиан в самом деле знал это произведение, длинный фрагмент последнего 11 M (*Cic. Div.* I, 17–22) сравнивается с пассажами из Клавдиана,

в которых тот пользуется близкими с цicerоновскими оборотами (*principio*); обследуется и сходство Клавдиана с Цицероном в таких элементах, как композиция или роль предзнаменований. Решающим доводом в пользу цicerоновского влияния представляется Claud. c. 24, 44–51, где изображена картина единодушия сословий (*concordia ordinum*), естественная для идеологической концепции Цицерона, но для поздней античности анахроничная. Автор полагает, что ряд признаков, по отдельности не столь доказательных, в совокупности достаточно определенно свидетельствует как о влиятельности поэмы Цицерона в конце IV в. н. э., так и об использовании последней Клавдианом.